

cujus obitu parem damno moerorem Gallia perpeſſa eſt. Di-
 verſa ex parte Paulus Thermus, decem peditum, duobus cir-
 citer equitum millibus collectis, Caletō Gravelingam, vel San-
 cti Audomari fanum adoriturus egreditur. Ea oppida ab Hi-
 ſpanis munita occupare minime poſſe ratus, finitimam regio-
 nem vaſtat, ac diripit, Duncherchium capit. Dum jure, at-
 que armis de dignitate, atque imperio inter Reges contento
 ſtudio, atque odio dimicatur, Philibertus Sabaudia Dux
 Aegmondanum cum mille Hiſpanorum peditatu, totidemque
 levioris armaturæ equitibus, quatuor Germanorum millibus
 præmittit; ex oppidorum præſidiis octo peditum millia, quos-
 que poſſit equites educere, præcipit; quam celerrime adver-
 ſus hoſtem contendere, acie decernere jubet. Aegmondanus
 cum iis recta in hoſtes progreſſus, prælio decertat; Gallorum
 exercitu proſtigato, plerisque cæſis, Thermo fauciato, atque
 capto, ingentem victoriam retulit. Ita æquatis utrinque vel
 victoriis, vel cladibus, Regum vires collabebantur, ut potius
 ingentibus populorum calamitatibus, ſuorum cædibus, pecu-
 niæ ob immanes bellorum impenſas inopia, quam inimicitiiſ
 mitelcentibus, atque pugnandi ardore reſtincto, ad pacis tra-
 ctationes cogi viderentur.

Verum Henricus, clade ad Gravelingam accepta, non de-
 ſpondere animo; nihil de vivida virtute, gloria vires mini-
 ſtrante, remittere; exercitum augere; amicorum auxilia coge-
 re, ut brevi fortior, ac validior ad conferendam cum hoſte
 pugnam evaderet. Neque minus in Philippo belli ſtadium,
 quem victoriæ nuper partæ felicitas audentioſam redderet.
 Itaque brevi cum a Gallo, tum ab Hiſpano eo numero, ac
 robore exercitus comparantur, quibus multis ab hinc annis
 inſtructioſiores nemo ſe vidiffe affirmaret. Nam ſub Gallorum
 ſignis equitum ſcloppeſtariorum (quos *pistolettos* vocant) no-
 vem; cataphraſtorum duo millia; totidem leviorum eſſe fe-
 rebantur; Gallorum peditum quindecim millia; ſeptem Ger-
 manorum; totidem Helvetiorum, in quorum ſupplementum
 Henricus ſex millia illius gentis acceſſiverat, majorque Saxo-
 num Ducis natus cum tribus equitum millibus ad exercitum
 pervenerat, Philippi vero copiæ ſex ſcloppeſtariorum, duorum
 millium ac quingentorum cataphraſtorum; leviorum equitum
 fere

1558

Dunche-
 rchium a
 Paulo Ther-
 mo captum.

Aegmonda-
 nus Dux
 Gallorum
 exercitum
 proſtigat,
 Thermum
 Ducem ca-
 pit.

Gallorum
 & Hiſpano-
 rum præ-
 potentes
 exercitus.